

M. 11

76



~~G. 1417.~~

EX BIBLIOTH.

NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

11-76.

SIGNAT. clōioCCXIII.



*Divinâ favente gratiâ.*  
COLLEGII METAPHYSICI.  
Disputatio Septima,  
*DE*  
NATURALI ET  
ARTIFICIALI; MEN-  
sura & Mensurato, & de affectionibus  
Entis reliquis.

*Quam*  
DEO TER OPT. MAX.  
annuente

*SUB PRAESIDIO*  
M. JOHANNIS HÖFERI  
Neost: Var. Al. El.

*Respondendo defendet*  
MICHAEL GLIESPISIUS  
Mansfeld. Saxo.

*Ad diem 6. Decemb. l. h. c.*

*LIPSIÆ, TYPIS GROSIIANIS*  
Excudebat JOHANNES-ALBERTUS MINZELIUS,

---

Anno M. DC XXV.





V I R O

*Amplissimo, Spectatissimo, & cum togata  
tium bellicæ rei peritissimo,*

**Dn. MICHAELI Breytherren/  
hæreditario in Wadderroda.**

*Illustri ac Generosissimo Domino,*

**Dn. JOANNI-GEORGIO, Comiti à  
Mansfeldt &c. à præfectura Leimbacensi  
dignissimo,**

**Cognato & Patrono suo plurimùm colendo.**


*offert*

**Michael Gliesspius Respondens.**





## T H E S I S I.



Uerunt Entis modi orti ex Uno: sequuntur illi, qui ex *veritatis* pullulant *ratione*, eâq; mediante Ens consequuntur.

### II.

Tales autem constituunt duo paria; 1. *nò Naturale & Artificiale.*  
2. *Mensura & Mensuratum*; Quorum terminorum investigabimus quidditatem, de illo prius acturi.

### III.

Naturalitas & artificialitas affectiones sunt transcendentes, Ergò metaphysicæ sunt speculationis, non ut vulgò putatur, Physicæ tantùm, ubi de Natura, & ejus contradistincto A R T E tractari solet, Id ut pateat clarius, nota ex Dn Jac, Mart. in prælect. priv. Metaph.

### IV.

In Physicis ly *Naturale* strictè accipi, pro eo quod in se naturam (quid hæc in Physicis est? Resp.) seu principium Motus & quieris habet (quodnam autem illud, quod id in se habet principium? Resp. Non Ens qua Ens, sed corpus naturale!) Hic verò in Metaphysicis omne illud dici Naturale, quod cum est, ab arte non est, sive stri-



Et dictum sic Naturale, i. e. corpus naturale, sive latius, i. e. ut complectatur Spirituale & Incorporeum, quo sensu & DEO natura tribuitur.

V.

Ita ergò definimus: *Naturale* est, quod habet in se naturam, (quam?) cujus veritas pendet ab Intellectu divino.

VI.

Nota; I. Naturale dicitur à Natura; Quid hæc ergò sit sciendum! Natura, ut hic sumitur, est ipsa essentia rei, quatenus illa in ordine ad operationes sumitur.

VII.

Differt ab ea, de qua in *Physicis* tractatur, præcipuè subjecto, quod hîc latius, ibi (in *Physicis*) strictius. Natura *Physicè* considerata est corporis naturalis natura, seu principium & essentia; sed *metaphysicè* spectata, cujuslibet rei (non tantùm corporis) dicitur natura.

VIII.

Hinc est quod distinguitur natura in *Naturantem* & *Naturatam*; Illa DEUS, qui omnia naturavit. Hæc omne illud dicitur, quod à DEO naturatum & creatum dicitur.

IX.

Quæ iterùm subdistinguitur in *Universalem* & *Particularem*: Illa est series & connexio causarum secundarum in mundo, quatenus ab istis ceteræ operationes proveniunt; Hæc est cujusq; speciei propria & determinata natura. Hinc dicimus naturam hominis, leonis, &c.

X.

Hoc primum est definitionis membrum, quo dicitur:



citur; Naturale est, id quod habet naturam, Ubi notandum quid per naturam hic intelligatur; Jam attende ad alterum; Cuius VERITAS AB INTELLECTU DIVINO PENDET: Quorum verborum intellectus ex 2. nostra disputatione petendus. Ubi de veritate actum.

XI.

VERUM ergò est illud, quod dicit congruentiam cum intellectu, eoq; vel divino vel humano, licet ad intellectum divinum ultimò referantur omnia, Ex vero igitur cum Naturale resultet, eius quoq; ex veritatis æstimaanda natura. Vides igitur cur dicatur in definitione, Cuius VERITAS pendet AB INTELLECTU DIVINO: DIVINO, in quam, ad quem τò Naturale debet mensurari & referri. Refertur autem dupliciter vel Immediate ut Intelligentiæ; & Substantiæ istæ, quæ vocantur æternæ, ut cœlum: vel mediatè, mediante ratione seminali, ut sublunaria omnia.

XII.

Sic fuit *Naturale*: *Artificiale* est, quod est ex arte, seu cuius veritas pendet ab intellectu humano: Nota ergò.

XIII.

τò *artificiale* refertur ad intellectum humanum seu eius principium proximè & immediatè; ad divinum autem mediatè.

XIV.

Res enim artificiales primò dicuntur veræ, quatenus Idæ seu formæ in mente artificis existenti respondent aut ad eum congruunt.

XV.

Quia autem omnes artes illarumque effecta bona  
N 3 sunt



sunt à DE Oq; oriuntur, ideò & res artificiales ad Intellectum divinum referuntur, scil. mediatè ut dictum.

DE MENSURA ET MENSURATO.

XVI.

In hujus affectionis constitutione autores, valde discrepant. Nos hic eam commodissimè posse locari arguimus, cum ex veritatis & illa dirivetur fonte, I. Ergò de MENSURA.

XVII.

Vocabuli ambiguitatem evolvit Scharsius, qui hac in re videatur. Ne autem ambigui definitionem exquirere videamur; ponimus: Mensuram hic considerari prout implicat respectum mensurabilis ad aliud, quod illud æstimat & mensurat.

XIIX.

Sicq; definitur; *Mensura est norma, ad quam conditio & habitudo alterius exigitur*: prout enim Ens aliquod manifestat, alterius vel perfectionem, (ait Scharsius) vel quantitatem, vel quidditatem, ita quidem ut ad illud exigatur, vel per illud exploretur habitudo ejus, inde solet appellari mensura.

XIX.

Hinc eam faciunt triplicem: *Quantitatis, Perfectionis & Cognitionis*: Illa est, qua quantitas & extensio alicujus exploratur, mensuratur, & notificatur: Sic ulna dicitur mensura panni.

XX.

*Mensura perfectionis* est, qua de perfectione alterius judicatur: Sic DEUS est mensura rerum omnium; Homo, regula & mensura viventium, &c.

XXI.



## XXI.

Mensura *cognitionis* est, qua de cognitione alterius judicatur: Sic res sunt mensura Intellectus nostri: non Intellectus rerum: Sicquidem non hæ ab illo; sed ille ab his dependet vid. rebus.

## XXII.

*Mensuratum* est illud ipsum, quod per mensuram, mensuratur, & quasi normatur: Hinc pro varietate normæ, variat & ipsum normatum; quod ex superioribus deprehendere facile est. Satis de Mensura & Mensurato.

## DE PERFECTO ET IMPERFECTO.

## XXIII.

Restant inter affectiones ortas & mediatas, illæ, quæ ex Boni natura scaturiunt; paria constituentes 4. vid. 1. Perfectum & Imperfectum. 2. Completum & Incompletum. 3. Absolutum & Respectivum. 4. Permanens & successivum: Quarum explicationem cum bono DEO, paucis absolvemus, 1. ergò de Perfecto & Imperfecto.

## XXIV.

Hic in limine quæritur; 1. Perfectum num ad Unitas affectiones referendum, an cum Imperfecto disjunctum Entis constituat modum? prius affirmant omnes, qui perfectum cum bono recurrere autumant, cum ab hoc diversum esse negent: Posterius nos dicimus: & ponimus perfectum licet in materiali cum bono recurrat: formaliter tamen unum esse diversum ab altero: Id quod in secunda nostra disput. superius evictum dedimus.

## XXV.



## XXV.

2. Graviter etiam adhuc in ostio disceptatur: Num perfectum adæquatam Entis sapiat naturam; Ita ut licet à bono distinctum, ab hoc tamen diversum non sit, cui sententiæ multi favent. Hinc urgetur illud, quod de perfectione essentiali (qua de supra in disput. de Bono) quidam afferunt: Paucis: dicunt, Omne Ens præcisè in se & sua natura consideratum dicere perfectionem adeoque esse perfectum.

## XXVI.

Ex hisce ut liberemur tricis, notandum; Hic non agi de perfecto ita, ut supra de eo actum, quatenus id cum Ente recurrat: Sed quia illud Ens consequitur non immediatè sed mediante Bono. Hinc conceptum dicit formalitèr distinctum à conceptu Entis.

## XXVII.

Inde jam *νενοειδρον* elicitor: Perfectum & Imperfectum entis constituit affectionem disjunctam: ratio: Non n. omne Ens perfectum est, datur quippe quod Imperfectum. Id quod ex formalitate utriusq; jam innotescit clarius.

## XXIX.

Perfectum est cui nihil deest ad suam, quæ ei debetur, integritatem; Imperfectum contra, cui aliquid deest, ad suam quæ ei debebatur integritatem.

## XXIX.

Modos ergò, quibus aliquid dicatur perfectum jam videbimus, ex quibus quid imperfectum sit, qui nam & quot ejus modi, constabit.

## XXX.

Perfectum est vel absolutè perfectum vel *α*, Illud quod



quod summam habet perfectionem, ut Solus D E U S.  
Hocq; in certo genere tantum perfectum est, & compara-  
tè ad illud, Imperfectum: Sic omnes creaturæ.

XXXI.

Quodq; iterum triplex faciunt: Transcendentale:  
Naturale, Morale. *Transcendentale* perfectum est, cui ni-  
hil deest ad Integritatem Essendi. Et hoc aliàs perfectum  
est perfectione prima: *Naturale* est cui nihil deest ad In-  
tegritatem naturalem.

XXXII.

Et hujus species constituunt tres, quarum 1. con-  
sistit in quantitate. 2. Qualitate & virtute operandi, 3.  
In consecutione finis.

XXXIII.

*Perfectum Quantitate* est, quod habet sibi debitam  
Quantitatem; Ut homo iusta statura præditus perfectus  
dicitur quantitate.

XXXIV.

*Perfectum facultate operandi*, est quod operari pot-  
est, ut debet: Sic homo sanus &c.

XXXV.

*Perfectum consecutione finis*, est, quod finem suum  
consecutum est, Sic beati in vita æterna perfecti sunt.

XXXVI.

Huc non incommodè referri posse videtur, illa  
perfectionis distinctio, qua distinguitur inter perfectio-  
nem *partium & graduum*; Illa est quando quid habet to-  
talitatem partium sibi debitarum, seu cui nulla pars, quæ  
ei debetur, deest. Hæc est, cum res, quo ad qualitates suas  
quadam gaudet perfectionis abundantia seu excellen-

O

ria,



ria, sic excellens Poeta perfectus dicitur, ut Virgilius; Excellens Orator perfectus dicitur, ut Cicero.

XXXVII.

*Perfectum morale* est, quando quid moraliter perfectum dicitur. *Moralis* autem perfectio, virtus moralis est, quâ si quis præditus, hac perfectione perfectus dicitur.

XXXVIII.

Ex his perfectionum differentijs; *quæ imperfecti* sit ratio facile cognosci poterit: pergimus ad

COMPLETUM ET INCOMPLETUM.

XXXIX.

De his uno vel altero verbo, *Distincta* hæc est *Entis* affectio à superiore, id quod ex ejus patebit *quiditate*.

XL.

*Complectum* est, quod sua natura ad perfectionem alterius non est ordinatum: Ergo.

XLI.

*Incomplectum* erit, quod ad perfectionem alterius ordinatur: Seu (ut Scheubl.) est res, quæ complet aliam. Hinc incomplectum à quibusdam *Ens* complens dicitur: Quorsum referuntur etiam omnes partes (præter *subiectas*) tam *essentiales* ut materia & forma, quàm *integrales*, quæ materiam integran.

XLII.

Nota autem. *Complectum* (& sic ad eò *Incomplectum*) dici vel *absolutè* vel *comparatè*. *Absolutè*, cum res ad alterius constitutionem *absolutè* non ordinatur, *Comparatè*, cum res in se quidem perfecta est, non tamen *re-*  
pugnati



pugnat cum alio ingredi constitutionem, alterius ut Ele-  
menta. Nam & hæc in respectu ad elementa seu mix-  
ta Corpora, materiæ & per cons. partium obtinent ra-  
tionem. Tantum de *Completo & Incompleto*. Sequi-  
tur de

ABSOLUTO ET RESPECTIVO.

XLIII.

*Absolutum* est, quod caret respectu ad aliud, prout  
autem respectus est varius, à quo Ens aliquod absolutum  
dicitur, Ita & varij sunt & Absoluti modi.

XLIV.

Hinc observant Metaphysici: *Absolutum* posse dici,  
vel omnimode absolutum, vel  $\alpha$   $\pi$ . Illud fingitur, cum nihil  
ita sit absolutum, quod non cum alio respectum inire  
possit.

XLV.

*Absolutum*  $\alpha$   $\pi$  varios sibi vendicat, quo absolu-  
tum dicitur, modos. Tales sunt autem in primis 4. Est  
enim 1. aliud absolutum à causa, 2. aliud à subjecto,  
3. aliud ab objecto. 4. aliud à termino.

XLVI.

1. *Absolutum à causa* est, quod non habet  $\alpha$   $\pi$   
ad aliud, à quo veluti à causa constituatur. Et sic DEUS  
ens absolutum est; & Creatura omnia Respectiva.

XLVII.

2. *Absolutum à subjecto* dicitur omnis substantia,  
eo quod non habeat respectum ad aliud, in quo sit ceu  
in subjecto; sic respectiva sunt omnia accidentia.



XLIX.

3. *Absolutum ab objecto*, est, quod non refertur ad aliud ceu objectum: Sic quantitas Ens absolutum est: Potentia autem naturalis, It: habitus, entia sunt respectiva.

XLIX.

4. *Absolutum à termino* est, quod sic absolutum est, ut non referatur ad aliud, ceu terminum & Correlatum: Sic accidentia omnia absoluta sunt, præter relationes; quæ propriè Entia dicuntur Respectiva.

L.

Sic se habet *absolutum*: *Respectivum* est, quod aliquem, quod ad aliud refertur, infert respectum.

LI.

Ens ergò respectivum denominatur à respectu: Hinc quotuplex ille, totuplex & istud: Nota ergò.

LII.

Respectus vel *rationis* vel *rei*: Ab eo est respectivum rationis: ab hoc respectivum dicitur reale: Huc refer distinctionem relatorum secundum dici, & secundum Esse, quæ nota est ex Logicis Philippi.

LIII.

Respectus realis iterum duplex est: Transcendentalis & prædicamentalis: Ille est *æque* & mutua habitudo, quæ refertur ad omnia ferè Entium genera; Sic accidens respectum habet ad subjectum, effectus ad causam, creatura ad DEUM.

LIV.

*Prædicamentalis* est relatio & habitudo realis, quæ particularem essendi modum infert, & peculiare genus  
Entis.



Entis constituit, ut est prædicamentalis relatio, patris ad  
filium.

*PERMANENS ET SUCCESSIVUM.*

L V.

Ens *permanens*, ut hîc sumitur, ei contradistingui-  
tur, quod est *successivum*.

L V I.

Et definitur à Scheubl. *Ens permanens* est, quod non  
habet partes suas in fluxu unius ad aliam abeuntem, ut  
DEUS, angelus, homo, anima, corpus.

L V I I.

*Ens successivum* est, quod partes sui esse habet in  
fluxu: Hinc partim est, partim fuit, partim erit; qualia  
Entia sunt Motus, Tempus, de quibus prolixè Physici, vi-  
de etiam Scheubl. lib. I. Metaph. c. 19.

*DE ACCIDENTALIBUS ENTIS ATTRI-  
butis & 1. de Subiecto & Adjuncto.*

L V I I I.

Essentialia Entis attributa cum Bono DEO absol-  
vimus; restant accidentalia adhuc à nobis investigan-  
da, sequentibus ductum & methodum, hæctenus qui-  
dem observatam, Clar. Dn. D. Jac. Marr. quam ex præ-  
lect. publ. citat Dn. M. Scharfius: primò ergò de Subje-  
cto & Adjuncto, post de Signo & Signato: tot enim  
accidentales prædictus Philosophus constituit Entis  
modos.

L I X.

Missis ergò vocabuli Subiecti reliquis significantibus,  
à quibus ceu homonymum ab alijs liberatur, breviter

O 3

dici-



dicimus: Nos h. l. pro eo accipere, quod ad adjunctum  
transcendentalem obtinet respectum, vel paucis: Ita  
subjectum h. l. sumimus, prout illud definimus sequente  
*λογα τῆς ἑστίας.*

LX.

*Subjectum* est id, cui aliquid adjungitur; Hinc dicitur substantia subjectum accidentium. Accidentia autem Substantiæ adjunctum, Caput subjectum pilei, pileus ejus adjunctum, &c. Notandum enim, quod præclare monet Dn. Jac. Mart. *Unum idemq; Ens respectu alio atq; alio, jam subjectum esse posse, jam adjunctum: Hinc refertur ea inter accidentia Entis, quando quidem non videantur per se inesse Enti, sed maximam partem à libero hominis arbitrio, dispositione & consideratione pendere.*

LXI.

Subjectum faciunt quadruplex 1. *Inhesionis.* 2. *Adhesionis.* 3. *Tractationis.* 4. *Prædicationis.*

LXII.

*Inhesionis* subjectum est, quod in se recipit accidens propriè dictum, i. e. tale Ens, quod cum est, non potest esse sine illo in quo est, sic homo est subjectum risibilitatis, paries albedinis &c. Hoc est vel ut *Quod*, vel ut *Quo*, Illud denominationis alias appellatur, ut homo, qui subjectum est doctrinæ. Hoc informationis dicitur, ut animus hominis, qui subjectum ut *Quo* doctrinæ æstimatur.

LXIII.

Subjectum *adhesionis* dicitur, quod in se recipit adjunctum propriè dictum, quod & ipsum pro diverso respectu propriè dictum subjectum esse potest. Sic men-



si est subjectum adhesionis librorum: libri mensæ ad-  
iunctum.

LXIV.

Subjectum *tractationis*, est circa quod aliud est oc-  
cupatum, aliàs objectum dicitur, & materia, circa quam,  
ut Metaphysici objectum est Ens: qua Ens, Physici cor-  
pus qua naturale &c. Sutoris objectum est corium.

LXV.

Subjectum *predicationis* (alias Logicum) prior pars  
enunciationis dicitur, de quo Logici in 2. lib.

LXVI.

Ex subjecti *diversitate* quæ adjuncti ratio sit, ultrò patet:  
Tot enim modis dicitur, quot modis dictum subjectum,  
observato saltem transcendentali unius ad alterum re-  
spectu, pergimus ergò ad

*SIGNUM ET SIGNATUM.*

LXVII.

*Signum* hîc sumitur pro quavis nota, aliam rem ar-  
guente: Reliqui hîc non attenduntur significatus.

LXVIII.

Definitur ergò à Metaphysicis: *Signum est id, quod*  
*potentia cognoscenti aliquid representat.* Representare itaq;  
essentialis signi ratio est.

LXIX.

Notentur autem præcipuæ signi distinctiones, quas  
quidem cum ab alijs fusè tractentur, hîc delibabimus 1.  
ergò *Signa sunt vel naturalia, vel arbitraria*: Illa sunt,  
quæ ex vi naturæ suæ representant, ut fumus ignis si-  
gnum est, cum natura sua oriatur ab igne: Hæc,  
quæ



quæ ex Imponentis arbitrio repræsentant, ut hedera vini  
vendibilis signum est.

LXX.

II. Signa alia *necessaria sunt*, alia *minus*: Illa quæ  
infallibilitèr signant, hinc *περὶ ἡμέρας* d' cta, ut aurora signum  
solis: *Hæc* quæ fallibiliter, *εἰκόλε* alias vocata: ut pallor, qui  
signum amoris, sed minus necessarium, adeoq; solubile:  
Huc signa revocanda ex Physiognomia petita.

LXXI.

III. Præterea distinguunt signa in *σημαντικὰ* & *μετέδοτικὰ*,  
*Significativa* & *exhibitiva*, Illa, quæ saltem signant: Hæc  
sunt, quæ rem signatam significando simul exhibent,  
qualia Sacramenta signa sunt: & si quæ plures ab autori-  
bus afferuntur signorum distinctiones.

LXXII.

Signatum est id, quod à signo potentiæ cognoscen-  
ti repræsentatur: Tot autem admittit sui distinctiones,  
quot signum: Ex quo quid & quoruplex signum sit, ob-  
scurum esse nequit. *Tantum de signo & signato: adeoq;*  
*de Metaphysica sapientia, parte communi: descen-*  
*dimus ad alteram, eamq; specialem:*

*Interea*

DEO NOSTRO GLORIOSO, GLORIA  
infinita, Amen.



ULB Halle  
005 129 222


3



*Reho*  
*VD 17*











*Divinâ favente gratiâ.*  
COLLEGI METAPHYSICI.  
Disputatio Septima  
*DE*  
NATURALI ET  
ARTIFICIALI; MEN-  
sura & Mensurato, & de affectionibus  
Entis reliquis.

*Quam*  
DEO TER OPT. MAX.  
annuente

*SUB PRAESIDIO*  
M. JOHANNIS HÖFERI  
Neost: Var. Al. El.

*Respondendo defendet*  
MICHAEL GLIESPISIUS  
Mansfeld. Saxo.

*Ad diem 6. Decemb. l. b. c.*

*LIPSIAE, TYPIS GROSIIANIS*  
Excudebat JOHANNES-ALBERTUS MINZELIUS,

Anno M. DC XXV.